in Tabellam continuos non discretos typos, et prælum proinde ut breui argumentaris, et tenacis atramenti picem, ut sine quibus frustrà typi fuissent. A priori adversario viro utique maximo, sed Burgundo, quid exspectandum sit facilè diuinamus, nimirum vinci nolle nec doceri, nec rixæ minui. Cum altero non jam facti sed juris quæstio superest. Inventorne Characteris incisi, præli, atque atramenti autor Typographiæ sit, an qui his inventis alteri subreptis, aliquid sensim addiderit, quo nunc adjuti facilius, ornatius, uberius rem Typographicam administremus. Compromitto verò in quos voluerit arbitros, si litem contestatur, causâ excidit, tametsi ut ingenia sunt horum hominum, ne quidem debellatas manus dabit, quod si verè hariolor, atque insurgat denuò, etiam atque etiam rogo, participem me rescripti facias, ut magis discam quid pertinatia possit, et succumbendi pudor, ubi semel se præcipites in falsi patrocinium dedere, qui literas, ut præ se ferunt humanas tractant, ut res est, maximè inhumanas. Vale Vir Amplissime et D: Heinsio, cujus me valetudo perpetuò sollicitum habet, plurimam a me salutem dic

Integerrimo affectu Tuo.

Hagæ Com: 22. Jan. 1641. C. H:

Bannio. Amplissime Domine. (297)

Secundas curas tuas ad censuram Thesaurarii fasciculis publicis inclusi, privatis tamen comitatus: quibus Mersenno etiam significaui, ferre me non æquo animo, abripi vos a viâ regiâ rationum Logicarum, scommatis, dicteriolisque, quæ ut ad rem non faciant, occupant respondentem tamen operâ nec ipsi gratâ nec lectori. deinde, prorsus me non capere, quid sibi Censor ille velit, cum accentuum Gallicorum hactenus mihi ignotis paradoxis. quibus elucidandi valdè velim, quid paradigmatici proferat, siquid ad hæc opportunè loquantur collâto Gutture Galli, curabo certior ut fias tu quoque, quem hisce inanijs vexari etiam atque etiam indignor. Habes hic Parannij Jesuitæ Tractatum, quo te nec doctiorem nec γαλλικώτερον faciet. versiculis hisce Gallicis, quos petiisti, si quem ex artis tuæ fundamentis cantum aptas, ut Poëseos non ignaris, verborum dignitas mereri judicatur, modestè illum, et sine rixâ vel convicio.

cum eâ

cum eâ qua nunc placet mihi cantione contendemus.
de Partibus intermediis non sum sollicitus. Sufficiet Bas
sum subscribas Italorum more, quo, ni fallar, de
autorum mente constare canenti abundè potest.
Vale Vir amice atque ama me. Hagæ Com:
X. Cal: Febr: CIↃIↃCXL

Tuus.
C. H:

Memineris rogo, cum rescriptorum
tuorum authentica quæque exemplaria
in Galliam misero, nonnis me eorundem
exemplis instruendum esse, per otium
quidem amanuensis tui, cujus tibi in
his rebus industriam tantum non invideo.
Perpetuò mihi Mersennus instat, ut vel
opus tuum, vel promissum ejus compendium
urget. quid respondebo?

Bannio. Amplissime Banni (298)

Tantam mihi occupationum impendere nubem prævideo versus Lunæ et Martis diem, quos mihi destinasse videris, ut monere te invitus cogar, ne istius itineris molestiam frustrà adeas. de reliquâ septimanâ, ut nihil statuere possim, cum ut nosti, planè non sim αὐτεξούσιος, aliquanto plus otij mihi tibique et Musis polliceri audeo. Te autem valere jubeo, cæteris omnibus in congressum dilatis. Scribo raptim. Hagæ Com: 2. Febr: CIↃIↃCXLI.

Tuus.
C. H:

Grasvinkelio. (299)

In Catilinam tuum, Vir Nobilissime, stupendæ lectionis et judicii opus, has mihi versiculos expressit Trucis compunctio veri. Testor te et amicitiam nostram, non eo consilio, ut ineptiis meis frontem libri dehonestes. sed privatim tibi ut constet, quanti et virtutes tuas faciam, et infinitam eruditionem. Staeckmannum quoque, quia sic jussisti, pro modulo parentavi. Rogo ut cognomini tamen, quod mihi excidit, præscribas, et interpellantem boni consulas quia.
13. Febr. 1641.

Tuum.
C. H:

Bannio. (300).

Amplissime Domine

Fecere primum occupationes meæ, quas nunquam vane pretexo, mox vehemens Catarrhus, qui per aurem lævam.